

iii DEMIPHO HEGIO CRATINVS CRITO PHORMIO GETA

- DE.* Enumquam quouquam contumeliosius
audisti' factam iniuriam quam haec est mihi?
adeste quaeso. *GE.* iratus est. *PH.* quin tu hoc age : 350
iãm ego hunc agitabo. pro deum immortalium,
5 negãt Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?
hanc Demipho negat esse cognatam? *GE.* negat.
PH. neque ei(u)s patrem se scire qui fuerit? *GE.* negat.
DE. ipsum esse opinor de quõ agebam : sequimini. 355
PH. nec Stilponem ipsum scire qui fuerit? *GE.* negat.
10 *PH.* quia egens relictast misera, ignoratur parens,
neglegitur ipsa : vide avaritia quid facit.
GE. sï erum insimulabi' malitiae male audies.
DE. õ aũdaciam ! etiam me ultro accusatum advenit? 360
PH. nam iam adulescenti nil est quod suscenseam,
15 sï illum minu' norat ; quippe homo iam grandior,
pauper, quõõ opera vita erat, ruri fere
se continebat ; ibi agrum de nostro patre
colendum habebat. saepe interea mihi senex 365
narrabat se hunc neglegere cognatum suom :
20 at quem virum ! quem ego viderim in vita optimum.
GE. videas tẽ atque illum ut narras ! *PH.* in' malam
cruce m ?
nam ni ita eum existumassem, numquam tam gravis
ob hãnc inimicitias caperem in vostram familiam, 370
quãm is aspernatur nunc tam inliberaliter.